

tor, adscriptum est: *Hic dicatur de quodam ribaldo in Cremsmünster*. Codex interius utrinque membranis vetusti cujusdam Tractatus Rabbinici vestitus est.

CLXXXVII.

- U. 150 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. per duas columnas probe, sed non una manu scriptus, et a celebri *Thoma Haselbachio*, ut frons loquitur, testamento legatus ad domum Collegij ducalis *Wienne* apud fratres predicatores, ibidem paullo infra ita describitur: *Gorra super Johannem ligamine bono volumine magno asseribus et cute ruffa circumdatus*, quibus *Haselbachius* propria manu subjecit: *Emi a facultate medicine. detur pro libraria domus Collegij 1449*. En igitur *Nicolai Gorranii*, *Gorranii*, *de Gorrain*, *Gorrenc*, *Gorham*, quibusdam *Angli*, verius *Galli*, Ord. Praed. circa an. 1295. defuncti Expositionem five *Postillas in Evangelium Johannis*, quae cum ceteris in reliquos Evangelistas *Colon. 1537*. et *Antverp. 1617*. f. typis prodierunt, ut testantur Bibliothecarii Ord. qui de Viro ejusque Scriptis agunt T. I. p. 437. Initium est: *Ecce intelliget seruus meus &c. Quia commendatio auctoris redundat in opus &c. Finis: que Dominus Ipse promisit. Ipso adiuuante qui viuit et regnat &c.*

CLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 40 Folior. 252. f. per duas columnas currente calamo a variis conscriptus Farraginem miscellam exhibet, cujus potiora indicabimus. I. ut e calce adfumo, *Nicolaus de Lira O. M. super Johannem*, ut saepe editus. Init *ἀνεπιγέαφος: Facies aquile desuper ipsorum quatuor &c.* et terminatur: *ad contemplandum facie ad faciem prestante domino &c.*

II. fol. 76. p. 2. Sequuntur *Epistola Jacobi* et *Judae Apostolor.* absque Glossa, et brevicula illa in *Pauli Epistolas Argumenta*, quae etiam in *Bibliis glossatis* leguntur.

III. fol. 78. Monita quaedam Casuistica de instruendis Confitentibus, iuvandis Moribundis, periculis in celebranda Missa occurrentibus.

IV. fol. 79. absque inscriptione Expositio Decalogi, quae infit: *Audi Israel precepta domini &c.* et est *Henrici de Vrimarya O. Erem. S. Aug.* jam *Vol.* superiore relata.

V. fol. 112. Differtatio in illud: *Et acceperunt corpus Ihesu.* Joh. 19. v. 40. De sacra Coena et diversitate eam accipientium.

VI. fol. 114. Repetitio de *Horis Canonicis* hoc ingressu: *Repetiturus Decr. Presbyteri que est prima sub rubrica de celebr. misse situata et ponitur etiam in decr. pro palea &c.* In XII. Quaestiones materiam hanc exhaustientes divisa est cum mantiffa.

VII. fol. 118. p. 2. ut e calce adfumo: *Stilus curie a Domino*